

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 87. (*Neovidensis* 1806. Nro. 81.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica

De Gustavo Adolpho.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 21. Octob. 1806 (Neov. 7. Octob.)

Sententia

Gustavus Adolphus bella gerens semper legebat libros Hugonis Grotii de jure belli, et pacis.
Hieron. Bignon.

Magni viri ita sibi contradicunt, sicut vulgares. Gustavus Adolphus bella serebat ex bellis, et tamen semperolvebat Hugonem Grotium, qui certe mansveta proposuit principia, quam parce utendum sit bello, et quam raro illud incipiendum. Volebat politicam Europaearum Aularum ad speciem mutuae justitiae reducere, et sanguinis profusionem praecavere. At Gustavus semper illum terebat, et semper erat in armis.

Hodiedum visuntur ruinae belli Svecici in nostra patria; debemusque in admirationem rapi, si perpendamus, a tam parva natione, qualis Svecica est, totam ferme Germaniam fuisse victricibus legionibus inundatam. Sed cessat omnis admiratio, si in memoriam revocemus, Germaniam secum ipsa disensisse, motus intestinos fovisse, cogemurque fateri,

Gustavum nonnisi nonnullorum dissidentium Germanorum, qui se mutuo atterebant, Ducem fuisse. Observatio tamen plena solatii est pro Germanis, Magnum illum Heroem ex occupatis provinciis, si unam demas Svecicam Pomeraniam, nihil retinuisse, amisisse autem progressu temporis florentissimam regionem, Livoniam. Vita Gustavi erat una series bellorum, sub quibus assidue tractabat Groti libros de jure belli, et pacis. Quae autem sunt ejus res gestae?

Gustavus Adolphus cognomento Magnus, Rex Sveciae, Caroli IX. Regis, antea Ducis Sudermanniae filius, natus 6. Decembr. 1594. successit suo Patri A. 1611. sub tutela matris, et patruj Joannis Ducis Ostrogothiae, interim sequenti statim anno auspiciatus est imperium, licet coronationem distulerit in 12 Octobris an. 1617. Bellum cum Danis continuavit, recuperavitque omnia prius perditam, ac demum an. 1613. favorabilem sibi confecit pacem. Post haec ipse interfuit bello contra Russos gesto, in quo ejus Generalis, Comes Gordie non unam reportaverat victoriam, atque in pace Stolboviensi an. 1617. obtinuit provincias, Kexholmiam, et Ingrim.

His peractis bellum intulit Polonis insigni cum emolumento praesertim in Polonia Borussia, usque dum an. 1629. initae fuissent induciae in sexennium, quae itaque durare debuissent usque Junium an. 1635, verum in alios 26 annos prorogatae sunt. Ferdinandus

enim II. Imperator suppetias misit Polonis, seque firmare in mari Baltico adniscus est, quam viciniam sibi periculosam ratus Gustavus Adolphus, inita cum Protestantibus armorum societate immiscuit se germanicis altercationibus, factaque cum 92 legionibus peditum, et 10 equitum excensione in insula Usedomia, profligavit copias Caesareas ex Pomerania, et Ducatu Megapolitano, quos ausus reprimere Tillius non potuit, Megapolim enim oppugnabat, Die 13 Januarii sanxit Gustavus Adolphus foedus cum Gallia, in quo eidem 400,000 Imperialium promissa sunt. At, antequam Tillium adoriretur, a tergo se praestare securum ad laboravit; quare assultu cepit Francofurtum ad Viadrum, Landsbergam vero deditioe; In-Marchia Brandenburgica tradita illi sunt duo propugnacula: Spandavia, et Cüstrinum, volebat praeterea se cum Electore Saxoniae ad pontem pone Dessaviam structum conjungere, atque unitis viribus Megapolim obsidione liberare. Quod cum non succesisset, die 18 Maji an. 1631. assultu facto expugnata est Megapolis, et miserum in modum vastata. Paulo post Elector, exquirens Tillium, rogavit Regem, ut sibi veniret in auxilium, quod ille trajecto ad Wittenbergam fluvio Albi cum 13 millibus peditum, et novem ferme millibus equitum opere implevit. Die 7. Sept. an. 1631. penes Lipsiam Tillius victus est. Gustavus ad haec victricia sua signa intulit in Franconiam usque ad Rhenum, et Mosellam.

A. 1632 infudit exercitum in Bavariam, fudit Tiliis, et Bavarorum copias ad fluvium Lechum; occupavit Neoburgum, Frisingam, Monachium, aliaque loca, ast Ingolstadium capere non potuit, ubi eidem equus, cui insidebat, prostratus occubuit. Intra breve tempus illi se dedit Augusta Vindelicorum, debuitque jurare fidelitatem coronae Svecicae, quod magnam excitavit attentionem. Ad Norimbergam impetum fecit in castra Wallensteiniana; sed amissis suorum duobus millibus pedem referre coactus est, inde se iterum recepit in Bavariam. Quia vero Vallersteinius totam suam vim convertit contra Electorem Saxoniae, redeundum erat Regi in Saxoniam, ubi, quamvis jam initio praelii 6. Novembris an. 1632. ad Luzenam comissi interemtus sit, ejus tamen milites plenam retulere victoriam. Propiores ejus mortis circumstantiae hucdum non poterant luculente detegi; credebatur potius a suis, quam hoste occisus, qua de re etiam Franciscus, Albertus Dux Lavenburgicus venerat in suspicionem. Gustavus Adolphus iturus ad bellum Germanicum, suam filiam Principem Christinam nominavit in Regno successorem. Hieronymus Bignon affirmat eum libros Grotii *De jure belli, et pacis* secum portasse, diligenterque legisse. Frontem habuit latam, vultum amaene rubrum, recte composita lineamenta, igneos, sed non procul cernentes oculos. Staturae erat procerae, gracilis, et rite conformatae. Ejus gestus spirabant majestatem, corpus erat firmum, et laboribus induratum. Morali caractere erat prae-

ditus, qui Heroëm, et Regem decet, atque ornat. Fuit doctus, pius, fortis, et magnanimus.

Atque haec est bellicosa Gustavi Adolphi vita. Verum belligerante Svecia absque animo amplificandarum provinciarum, sed potius, si ita loqui fas est, *propter Christum*, Borussia ex Marchionatu eluctata est usque ad Regiam dignitatem, didicit a Svecis artem bellandi, et fortitudinem, descenditque ad bella, ut imperii sui fines proferret. Post pacem Vestphalicam Svecia imminuebatur, Borussia autem crevit. De statu Borussiae sequentes circumferuntur animadversiones:

Ex omnibus Europae Statibus nullus est, qui vel ob solum suum geographicum situm in pejoribus versaretur rerum adjunctis, et qui ad sui conservationem majores sumptus, vires, atque sapientiam requireret, quam Borussia. Non nisi per summam parsimoniam, et maximum, qui adhiberi potest, subsidiorum usum potis est se ab interitu vindicare, sublimemque illam auctoritatem, quam inter Gentes continentis assumpsit, tueri. Vix numerat 10 miliones hominum, vix percipit annuos 60 millionum redditus, cogitur tamen exercitum ex trecentis fere millibus constantem, paratum servare. Non est in Europa ullum alicujus momenti Regnum, quod in tanta paucitate hominum, tam numerosum aleret militem. Jam hoc unicum factum, ex novissimis, iisque optimis statisticis Authoribus desumptum, clarissima in luce collocat, quantopere exhauriatur aera-rium publicum in Monarchia Borussia. Si ve-

ro spectemus statum ejus militarem, a solis defenditur legionibus, non enim habet loca deserta, uti Russia, in quibus difficile est, ob defectum alimentorum, numeroso cum milite diu pugnare; Non sunt ejus limites natura, et arte, non latis fluviis, aut triplici propugnaculorum serie muniti, sicut Galliae; sed provinciae ejus solitariae, partim haereditate, et permutatione, partim armis partae, dispersae jacent, fortissimum ejus praesidium est Silesia. In Borussia potest unicus Monarcha profusione, vel politica inconsiderantia totum destruere, quod praeclearissimi Rectores saeculo diutius operose aedificaverunt. Borussicae regiones ex omnibus partibus cinguntur territorio vel Gallico, vel Russico, vel certe talibus provinciis, quae alterutri harum Gentium adhaerent. Ex quo Bavaria, Vürtembergae, et Badenae foedus pepigerunt cum Gallia, haec medullam Regni Borussiae in Germania Septemtrionali duabus circumdat ex partibus, a mari germanico usque ad Rhenum, et a Rheno usque in Bohemiam. Omne bellum inter Galliam, et Borussiam, nisi extraordinaria belli fortuna Borussiae faveret, tandem in ejus meditullium deducetur, unde major vastitas nascetur, quam emolumentum posset gloriosissima adferre victoria. Quapropter Borussia longo adhuc tempore non poterit alia politica Status ratione uti, quam stricta neutralitate in bellis inter septemtrionale, et occidentale Imperium.

A sola adhuc Borussia potest Gallia bello impeti; sed in tanta Galliae praepotentia,

in tanta incertitudine foederatorum in Germania septentrionali, qui omnes sui conservationem cunctis commodis praeposituri sunt, fere cum morali certitudine licet praevidere, Borussia cum innata sibi fortitudine, cognitione artis militaris, et dexteritate suorum Ducum in omni bello victimam casuram. Ita etiam sine ulla dubitatione tenendum, Galliam ad tutandos suos Septentrionales limites, et incrementum potentiae, fracta Borussia, easdem facturam dispositiones in Germania Septentrionali, quas fecit in Australi. Nullam illa sibi retineret occupationem, sed partiretur inter foederatos, novaque strueret munimenta inter se, et Monarchiam Borussicam, hancque, uti Austriacam, versus minus cultum Orientem protruderet. Venire potest tempus, quo Bavaria ex potentia maritima in terrestrem convertatur Germaniae Septentrionalis, atque hoc tempus forte propius est, quam putemus. Hanoverae, et Vestphaliae fata nondum sunt decisa.

Quidcunque autem author hujus operis argumentetur, vel somniet, latent adhuc in tenebricosa temporis urna sortes, potestque fortunata manus in locum horridi verbi *bellum* protrahere dulcius *pacis*.

Problema.

Quidam foenerator apud Mercatorem elocavit certam summam pecuniae ad usuram.

Elapso anno mercator eandem praestare recusabat, Itaque foenerator sequentem fecit propositionem: Adjiceret mercator debitum jam pro anno praeterito census Capitali, se velle illi adhuc addere 840 fl. et Capitale apud eum permittere pro censu uno florenno minori, quam superiore anno, ut tamen tantundem usurae habeat, ac prius. Mercator consensit. Cum fine secundi anni patuit, Capitale fuisse majus 60 florennis, quam quarta ejusdem pars.

Quaeritur: Quantum fuerit Capitale, quantus census primo, et secundo anno?

Isacus Schuster,
Francofurtensis tabellarii
filius.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, praeter complures alios, libri venales prostant:

Articuli Comitiorum Anni 1805. 20 xr. compact. 24 xr.

Historia Regni Hungariae 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. Charta scriptoria 2 fl. 15 xr.

Concordatum, et Collectio Bullarum, ac Brevium SS. P. N. Pii VII. Pont. M. super statu praesenti Ecclesiae Gallicanae; Decretum de constituendis novis Archi-Episcopis, et Episcopis, Publicatio Jubilaei, et Indultum de reducendis Festis. 8. compact. 51 xr., in charta elegante 1 fl. 12 xr.
